

lanceolatis, omnibus margine submembranaceo: Corolla purpurea, calyce duplò longior; semiflosculi tubus filiformis, apice paulò incrassatus, hirtus; ligula truncata, quinquedentata: Antheræ in longum tubum coalitæ: Stigma bifidum, exsertum: Semina subcylindrica brevia, multi-angulata, anguli toti tuberculis acutis asperati, in serræ modum dispositis: Pappus densus, setis apicem versùs simplicibus, infernè plumosis: Semina nondum perfectè matura vidi.

H. in pratis Cyrenaicæ.

Expl. TAB. XVII. fig. 4. o flosculus cum semine et pappo; n semen.

SONCHUS TINGITANUS: *Willd. Sp. Pl. III. p. III. 1516. Smith Fl. gr. Prodr. II. p. I. 126. PICRIDIVM tingitanum: Desfont. Fl. atl. II. 220.*

H. in montibus Cyrenaicis.

APARGIA TARAXACIFLORA: Setuloso-hispida; foliis sinuato-pinnatifidis; floribus paniculatis; calycis foliolis exterioribus laxis. TAB. XXII. fig. 1.

Tota planta setulis albicantibus, patentibus hispida: Radix simplex, annua: Caulis hinc inde ramulosus, teres, ramis superioribus in pedunculos elongatis, nudiusculis: Folia radicalia sinuato-pinnatifida, longè in petiolum attenuata, laciniis obtusis, inæqualibus; superiora laciniis profundioribus, angustioribusque: Flos 1 cent. longus: Calyx ex hemisphærico cylindricus, densis setulis hispidus, calyculatus foliolis duplò brevioribus, lineari-acutis, laxis; foliola interiora duplici serie disposita, lineari-lanceolata: Corolla lutea, paulò calycem superans; ligulæ truncatæ, quadridentatæ, tubus hirsutus: Semina linearia, brevia: Pappus sessilis, piloso-plumosus, laxis: Receptaculum excavato-punctatum, pilis sparsum.

H. prope Cyrenem.

Expl. TAB. XXII. fig. 1. b semiflosculus cum semine; c semen cum pappo; d pappi radius; a receptaculum.

APARGIA HASTILIS: *Willd. Sp. Pl. III. p. III. 1543.*

Var. β scapo squamuloso, foliis pilis simplicibus, margine præsertim, hirtis. *Nob. TAB. XXVI. fig. 1.*

H. in Cyrenaicâ.

Obs. Licet non absque oscitantia hanc plantam in varietatem *A. hastilis* recipiam, nolo tamen novam speciem condere in genere ubi consultius esset nonnullas expungere, quàm novas adicere. Foliis, glabritie scapi calycisque cum *A. hastili* quidem, et magis quàm cum reliquis congruit; at folia pilis raris sparsa; scapus squamulosus, non nudus, et quod majoris momenti differentiam præbet; calyx non basi tantum squamis nonnullis parvis munitus, sed reapse imbricatus.

Expl. Tab. XXVI. fig. 1. a flosculus cum semine et pappo.

HIERACIUM SIMPLEX: Scapo simplici, unifloro, prope calycem incrassato, squamifero; foliolis calycinis, unicâ serie, in cylindrum conniventibus; foliis obovato-ellipticis, sinuato-dentatis; seminibus apicem versus coarctatis. TAB. XIII. fig. 4.

Radix simplex annua: Folia omnia radicalia obovato-elliptica, sinuato-dentata, dentibus utrinque duobus tribusve, pilis brevibus ad lentem hispidula: Scapus uniflorus, vix 7 cent. longus, glaber, prope calycem incrassatus, squamisque tribus, quatuorve, lineari-acutis munitus, per ætatem defluentibus: Calyx cylindricus, foliolis 8 — 9 basi veluti coalitis, lineari acutis, conniventibus; dorso nervosis, hirsutisque: Corolla lutea, calyce duplò longior: Ligulæ truncatæ, quadridentatæ, tubus lævis: semen lineare ovatum, apice coar-

ctato, hinc veluti urceolato: Pappus sessilis, 7 — 10 setulis, rigidulis, ad lentem scabris, ultrà calycem paulò exsertis compositus: Receptaculum nudum.

H. in pratis Cyrenaicæ.

Obs. Nullo semiflosculosarum generi admissim congruit: Major verò cum Hieraciis, licet adversante calyce, quàm cum reliquis consensus.

Expl. TAB. XIII. fig. 4. a semen cum pappo; *b* semiflosculus cum semine.

CREPIS NUDIFLORA: Setuloso-hirta; foliis spathulato-oblongis, dentatis; pedunculis nudis, calyculi foliolis lineari-setaceis, patentibus; corollà calicem paulò superante; seminibus stipitatis, transversè rugosis. **TAB. XIII. fig. 2.**

Radix simplex: Reliqua planta setulis patentibus sparsa: Caules 1. decim. circa alti, ex eadem radice plures subæquales, erectiusculi, alii aphylli, apicem versùs nunc bifidi in pedunculos unifloros, nunc parcè dichotomi; alii parcè foliosi: Folia radicalia spathulato-oblonga, ferè sessilia, dentata, dentibus porrectis, ciliata; caulina, ubi adsunt, semiamplexicaulia, cæterum reliquis conformia; floralia ad pedunculorum dichothomiam lineari-acuminata et lineari setacea: Flos paulò ultra centim. longus: Calyculi foliola lineari-setacea, patentia, inæqualia, tertiam circa calycis longitudinem æquantia: Calyx basi paulò ampliatus, cylindricus, 7 — 8 foliolis linearibus acutis, compositus, in tubum conniventibus, nervo dorsali setulis nigricantibus patentibus hirtis, itemque pilis brevibus adpressis, lente conspicuis, sparso: Corolla lutea, calyce paulò major: Ligulæ apice profundè quadridentatæ: Semen lineari-ellipticum, transversim tuberculato-rugosum, in longum stipitem attenuatum: Pappus densis pilis simplicibus compositus: Receptaculum nudum.

H. in Cyrenaicæ pascuis.

Expl. TAB. XIII. fig. 2. a semiflosculus; *b* semen magnitudine naturali; *c* idem auctum.

CREPIS NIGRICANS: Setuloso-hispida; foliis caulinis lanceolato-amplexicaulibus, sinuato-dentatis; summis integerrimis; calyculi foliolis lineari-acutis, patentibus; calycinis dorso pilis nigris hirtis. **TAB. X. fig. 3.**

Planta setulis albis, patentibus sparsa: Caulis paniculatus, foliosus, teres, ramosus, ramis divaricatis: Folia radicalia desunt: caulina ad ramorum ortum lineari-lanceolata, amplexicaulia, sinuato dentata, dentibus porrectis, basim versùs dentato-incisa; summa, ad pedunculorum originem, lineari-acuta, sessilia, integerrima: Pedunculi ex extremis ramis nudi: Calix 1. centim. longus, foliolis 8. compositus, linearibus acutis, in cylindrum conniventibus, dorso setulis longis, nigris patentibus, duplici serie dispositis, hispidus: Calyculi foliola, calyce duplò breviora, patentia, laxa, lineari-lanceolata, pilis nigris, rigidis, hispida: Corolla calyce duplò ferè longior, lutea; ligulæ truncatæ, 4 — 5 dentatæ: Semina linearia, brevia: Pappus sessilis, densissimis pilis simplicibus compositus; Receptaculum ad lentem foveolis margine membranaceis sculptum.

H. in montibus Cyrenaicæ.

Expl. TAB. X. fig. 3. a semiflosculus cum semine; *b* semen cum pappo.

CREPIS FILIFORMIS: Foliis lineari-lanceolatis, ellipticisque, integris, vel remotè sinuato-dentatis; pedunculis aliis radicalibus, filiformibus, unifloris, nudis, aliis multifloris foliosis; bracteis linearibus in laxum calyculum confluentibus. **TAB. XXI. fig. 1.**






Fig. 4.

Fig. 5.





Fig. 2.

Fig. 1.





Fig. 3.

